

piam, vel semina per tabellarium mittere, et ego mox impensas Tuas solvam.

Nulla ratione quae me doceas propalabo.

At vero oro rogoque nomine orbis Botanici quanto ocyus edas prodromum Tuorum, in quo tradas generum characteres et species compendiose, quo avidius orbis Tua expectet. Plantae enim australis Americae, Pisonis et Marcgravii etc. nobis etiamnum barbarae sunt, quae ex Tua doctrina adeo facile illucescerent.

Quod ad *Brownium* attinet, debeo fateri, quod nullus mortalium plures vere detexit plantas americanas quam ille, adeoque eum sanctissime colo et in summa veneratura habeo, cum Botanici eum numquam sufficienter eum laudare, et grata memoria prosequi possunt; virum non novi, sed videtur mortalium honestissimus fuisse, qui inventa sua communicavit, nulli umquam gravis, nec videbis in toto ejus libro eum umquam aliquem acriori calamo tetigisse. Forte differentiae ejus specificae minus elaboratae; forte in aliquo loco hallucinatus, cum fuerat mortalis, sed haec non observo, observo tantum quae tam honeste communicavit; voluit certe et studuit dare suas plantas distincte, sed quis erroris expers, ubi tot observationes necessariae. Dedit nobis veram ideam tot plantarum indicarum, ut si totidem a Te obtineamus, facile innotescant nobis pleraeque plantae americanae.

*Petiveria* floret, et floruit omni anno in horto, at numquam plura quam 6 stamina gerit, quod sancte assevero. Dicas mihi quem locum natalem velit Coccoloba, quae numquam in horto floruit, quamvis egregie crescat.

Quamprimum Egregius *Scopoli* suam ediderit *Floram carniolicam*, quaeso cures per Legatum nostrum, ut eam habeam, si ille mittat ad Illustr. Com. Tessin, ego brevi habebō.

Quaeso des mihi in literis aliquot semina plantarum rariorum, ut habeam, quibus ingravescentem exhilarem aetatem.